

suum: homo nullo unquam vita sua tempore tenetur elicere actus fidei, spei, & charitatis ex vi praecipitorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

3. R. 2. Praeceptum spei probabiliter obligat per se, cum primum homo rationis usum assequitur, & finem ultimum ad quem tendere oportet, clare cognoscit, ita ut multum tempus non differat, spem elicere. Ratio est, quia sine spe nec justificari possumus, nec in justitia persistere, nec apud Deum aliquid mereri. 2. quoties versaris in periculo desperandi, nec aliud quam per actum spei potes confirmari. 3. saepe in decursu vita. 4. in mortis articulo, in quo spes est maxime necessaria contra imminentes tentationes. Obligat autem per accidens, quum urget praeciput aliarum virtutum, quae sine actu spei exerceri nequeunt; aut aliqua nos vexat tentatio, quae superari nequeat, nisi spe mentem erigamus.

4. Quæst. 3. Quænam sunt vitia spei contraria? R. duo, nempe desperatio, & præsumptio. Desperatio est diffidentia de obtinendo Deo, aut æterna salute, aut de obtinenda venia peccatorum, vel auxiliis ad emendationem vita necessariis. Præsumptio est fiducia obtinenda beatitudinis vel propter merita propria, vel absque cooperatione sua propter merita Christi. Utraque est mortale ex genere suo, cum sint opposita virtuti Theologicæ, & gravi injuria Deum afficiant. Ista duo occidunt animas, aut desperatio, aut perversa spes, ait S. Angust. Serm. 87. de Verb. Evang. Et quidem desperare de æterna salute, semper est grave peccatum, non admittens parvitatem materiæ. Ad peccatum præ-

sumptionis pertinet, velle in peccato persevere, quandiu quis valet, sub spe venia in mortem obtainendæ; scilicet, si spes illa sit ratio movens ad peccandum, secus vero si spes non influat in peccatum, licet peccans speret peccatum sibi postea remittendum. V. D. Thom. 2. 2. q. 21. a. 1. & 2.

### TRACTATUS III.

#### DE PRAECEPTO CHARITATIS.

##### CAPUT I.

###### De praecipto charitatis in Deum.

1. Quæst. 1. Quid est charitas erga Deum, & quodnam ejus objectum? R. Charitas in Deum est amor amicitiae, quo Deo bene volumus, & omnia bona ipsi cupimus ob summam; & infinitam Divinæ naturæ perfectionem. In quo differt ab amore, qui vocatur concupiscentiae, scilicet illo, quo Deum amamus, non quidem propter se ipsum, sed quia nobis bonum. Hinc charitatis objectum materiale primarium Deus est, secundarium nos ipsi, & proximus; eodem enim actu, quo Deum amamus, nos ipsos, & proximum diligimus propter Deum. Motivum autem, sive formale objectum charitatis est Deus ipse, qua bonus est in se, sive Divina bonitas, quæ complexio est infinita perfectionum omnium.

2. Quæst. 2. Ad quid obligat charitatis praeciput? R. ad Deum super omnia dilig-

dum appretiative, ita ut paratus sis omnia potius amittere, quam Deum offendere. Patet ex Scriptura; Matth. 12. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* 1. ad Timot. 1. *finis præcepti charitas.* Constat etiam ex prop. damn. ab Alex. VII. supra cit. & ex damnata ab Alex. VIII. quæ ita habet: *sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative, hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.* Ratio autem est evidens; quia cum Deus sit summum bonum, & finis ultimus rerum omnium, præ ceteris omnibus est a nobis diligendus, atque colendus. Qui tamen amor Dei non debet esse intensive summus ex Divino præcepto, licet sit ex consilio; quia intensio est quid illi accidentiarum, sine quo tota ratio, & ordo dilectionis stare potest, quantum satis est, ut charitas erga Deum sit re, & opere efficacior, quam dilectio cuiuslibet alterius rei. Sed de intensione charitatis latius agemus, ubi de contritione diseratur.

3. *Quest.* 3. Quandonam obligat preceptum charitatis? 1. ex communi opinione initio usus rationis, cum primum, moraliter loquendo, affulget homini notitia clara summi boni; quia recta ratio dictat, ut homo per dilectionem tendat in finem ultimum suum, a quo bona omnia derivantur. 2. quando est periculum labendi in mortale nisi actum amoris elicias. 3. quando aliter superari nequit gravis tentatio. 4. probabilissime in periculo mortis. 5. cum urget præceptum confitendi, nec ad est Confessarius;

v. g. si necesse sit celebrare aut verseris in periculo mortis. Denique sæpe in vita decursu. Hinc damnata est ab Innoc. XI. hæc propositio: *probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare preceptum charitatis erga Deum.* Et alia: *tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.*

4. Ex dictis colliges 1. mortale esse, Deum in estimatione, & pretio Creaturis postponere; ita ut paratus sis in Deum graviter delinquerre, potius quam aliquo bono creato privari. 2. peccas contra charitatem Dei, si Deum non diligas præcipue propter se tanquam finem ultimum Creaturarum, sed tantum propter aliud; potest tamen quis amare Deum propter retributionem, sed minus principaliter, ita ut vita æterna, vel alia Dei bona sit tantum causa movens, ut Deus facilius ametur. Ubi notanda est prop. damnata ab Alex. VIII. *Intentio, quæ quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut obtineat cœlestem gloriam, non est recta, nec Deo placens.* Denique omnium maximum, & gravissimum peccatum est contra charitatem, odio formalis Deum prosequi, contrario amori, qui dicitur amicitiae, & benevolentiae, puta, si quis optaret, Deum non esse, aut non esse scientem, potentem, cet.

## CAPUT II.

## De præcepto charitatis erga proximum.

1. Quæst. 1. An sit speciale præceptum diligendi proximum? Affirmo ex 22. Matth. secundum autem (mandatum) simile est huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum. Et Joan. 15. hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Nec solum amare proximum debemus amore externo, sed etiam interno, ut constat ex prop. damnatis ab Innoc. XI. 10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formaliter. 11. præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

2. Quæst. 2. Quid nobis præcipit charitas erga proximum? Hoc præceptum, prout affirms, est obligat ad amandos omnes homines propter Deum, sicut nosmetipos amamus, non quidem secundum æqualitatem, sed secundum similitudinem; quatenus vero est negans præceptum, prohibet odium proximi, scandalum, & quodcumque illius damnum sine justa causa illatum.

3. Quæst. 3. Quis ordo servandus est inter personas, quæ diliguntur? R. 1. Certum est, ordinem charitatis servari debere secundum illud Cant. 2. ordinavit in me charitatem. Atque hunc ordinem eadere sub præceptum, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 44. art. 8. & S. Aug. lib. 1. de doct. Christ. c. 27. Itaque primo, quisque tenetur amare Deum, utpote summum bonum. 2.

se ipsum. 2. ceteros homines. Peccat igitur contra charitatem sui, qui salutem suam sive spiritualem, sive corpoream neglit, quod grave peccatum erit, si fiat cum gravi damno, & sine justa causa.

4. Unusquisque tenetur se magis diligere in bonis spiritualibus, quam proximum. Hinc nunquam licet peccare etiam venialiter, ob salutem proximi, ut indicant verba illa Ch. D. *quid prodest homini, cet.* Potest tamen quis sese privare bonis spiritualibus, non omnino ad salutem necessariis ob bonum alterius, etiam corporeum, ut esset, ingredi Religionem ad alenos filios vel parentes. In o licet se ipsum expondere alicui periculo peccandi ob salutem spiritualem proximi; si nempe periculum alterius sit certum, proprium autem dubium, & incertum.

5. In extrema proximi necessitate spirituali tenetur quisque ei subvenire, etiam cum proprio vitæ periculo: unde teneris etiam cum certo vitæ discrimine baptizare, vel absolvere moriturum, si aliis non adsit, qui id faciat, & sit spes, illum adjuvandi. In gravi autem necessitate spirituali non teneris ei succurrere cum gravi periculo vitæ, famæ, vel bonorum, nisi Pastor sis, cui ex munere tuo incumbit oves non deserere tempore necessitatis, v. g. pestis; aut nisi Communitas aliqua eset in gravi necessitate, desitque aliis, qui possit subvenire; quia tunc commune damnum præferendum est priuato bono. Hinc colligunt DD. Sacerdotem teneri, etiam cum vitæ periculo ministrare Sacraenta popu-

lo, qui alias esset in periculo amittendi fidem; vel si tempore pestis populus sit omni Sacerdote destitutus.

6. Quæst. 4. An liceat cuiquam vitam suam postponere alienæ? R. ut plurimum non licet, cum ordo charitatis postulet, ut homo se ipsum potius, quam alios diligat, ut docet S. Th. q. 26. art. 4. & Aug. lib. de mendac. Id tamen aliquando licet, si alterius vita sit utilior ad gloriam Dei, vel salutem proximorum, ut etiam pro amico, propter Deum dilecto, vel ex alio titulo honestatis. Imo aliquando ad id tene-  
mur, v. g. subditus pro salute Reip. vel sui Principis, aut alterius personæ, Reip. valde utilis, aut necessariæ. Postulat enim charitas, ut quis bonum commune privato suo præferat.

7. Quæst. 5. Quis ordo inter proximos serbandus est? R. qui melior est, magis amandus est amore complacentiæ, quia Deo est magis conjunctus. Quoad amorem autem affectivum, & appetitiuum consanguinei secundum varios gra-  
duis sunt cæteris præferendi. 1. amanda est uxor, quæ est una caro cum viro. 2. loco filii, quia sunt conjunctiores, ita ut in æquali necessitate primo sit illis succurrendum, quam parentibus; contra vero si necessitas sit extrema, parentes sunt filii, & uxori præferendi, ut docet S. Thom. q. 26. a. 11. eo quod vitam dederint. 3. parentes, & quidem pater præ matre. 4. fratres, sorores, deinde ordine suo propinquui, domesti-  
ci, familiares. In rebus ad civilem communica-  
tionem pertinentibus concives præferendi sunt aliis, commilitones in bellicis, in spiritualius

filii spirituales; quamquam etiam in his præfe-  
rendos esse parentes carnales, docet Bannez,  
quia conjunctio carnalis est aliarum fundamen-  
tum. Hæc dicta intellige in pari necessitate, nam  
in aliquo casu, ait S. Thom. q. 31. art. 3. est  
magis subveniendum extraneo, puta si sit in extre-  
ma necessitate, quam etiam patri, non tantam ne-  
cessitatem patienti. Idem dico de extraneo, neces-  
sitatem spiritualem paciente, qui præferri debet  
consanguineis, in sola corporis indigentia cons-  
titutis.

## CAPUT III.

## De odio, &amp; dilectione inimicorum.

8. Certum est in præcepto charitatis proximi comprehendendi etiam inimicos, cum sint no-  
bis proximi, atque æternæ beatitudinis capaces.  
Extat etiam speciale Christi præceptum Matth.  
5. Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.

Quod præceptum prohibet 1. odium, deinde  
præcipit amorem internum, & aliquando etiam  
externa benevolentia signa. Hinc.

9. Quæst. 1. An liceat aliquando odio  
habere inimicum? R. odium inimicitiæ, sive per-  
sonæ, secundum se, & bonorum ejus, ex gene-  
re suo grave peccatum est contra præceptum  
charitatis. Itaque nunquam licet ob�ate illi ma-  
lum, nec in malo illius gaudere, qua malum  
est aut dolore de bono ipsius, qua bonum ejus  
est. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, &  
in ruina ejus ne exultet cor tuum, ne forte videat  
Dominus, & dispiceat ei. Prov. 14. Si de prospa-

ritate affigitur, & de calamitate se odientis letatur, constat, quod non amat; ait S. Greg. lib. 22. in Job. c. 6. Nihilominus licet aliquando optare proximo malum aliquod temporaneum, quatenus illi bonum est, v. g. morbum, vel adversitatem, ut a peccatis emendetur. Pariter possimus illi malum optare ob bonum spirituale alterius, vel ob commune bonum. Quo pacto licet desiderare mortem hæresiarchæ, vel pacis publicæ perturbatori, juxta illud Pauli ad Gal. 5. *Utinam abscedantur, qui nos conturbant.* Id enim est præferre bonum spirituale temporali, & privato bonum commune, quod est conforme ordinatae charitati. Eadem ratione multi excusant a peccato eos, qui sibi mortem precantur ad vindictam gravissima mala, v. g. afflictiones internas, vel vitæ genus amarius morte, juxta illud Ecc. 30. *Melior est mors quam vita amara.*

10. Cavendum tamen est, ne sub specie majoris boni, vel commodi spiritualis lateat affectio vindictæ, ut plerumque fit. Nec obvisci oportet tres propositiones ab Innoc. VI. damnatas, videlicet —

1. *Si cum debita moderatione facies, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam ineffaci affectu appetere, & desiderare, non quidem ex displicantia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* 2. *licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed bonum cupientis, quia nimis ei obventura est pinguis hæreditas.* 3. *licitum est filio gaude-re de parricidio parentis, a se in abrietate per-*

*petrato, propter ingentes divitias, inde ex hæreditate consecutas.*

11. *Quæst. 2.* Ad quid obligat præceptum diligendi inimicos, qua parte affirmans est, ac positivum? R. tenetur quisque inimico suo communia dilectionis signa exhibere, & quidem ex præcepto: specialia vero ex consilio tantum, nisi aliunde ratio obligationis accedat. Quod addo, quia etiam particularia officia ex præcepto debentur, cum adest timor prudens scandali omissione, spes magna illius salutis, vel id exigit gravis ejus necessitas temporalis, vel spiritualis. Extra hos casus solum tenemur ad exhibendum inimicis signa communia benevolentiaz, puta ea, quæ a civi debentur concivi, a cognato debentur cognato suo, & similia. Hinc peccatum est inimicum excludere a communibus Orationibus, v. g. oratione Dominica, vel a communii eleemosyna, resalutatione, responsione, expositarum mercium venditione, quia hoc esset inimicitiaz signum. Pariter cognatos omnes invitare, obvios omnes salutare, solo inimico excluso, esset peccatum lethale, nisi levitas materiaz, aut rationalis causa excusat, v. g. si Pater filio vel subdito Superior ob correctionem ea subtrahat ad tempus.

12. *Quæst. 3.* An tenearis salutare inimicum? R. communis sententia negat, generatim loquendo, cum salutationis omissio non sit odii signum. Excipe: nisi antea solebas salutare, vel sit tuus Superior, vel salutando alios, inter quos inimicus adest, illum excipias: denique nisi ex circumstantiis colligi possit, a te inimi-

cum ex odio non salutari. His addo cum Tourneyo: tenemur salutare inimicum, cum salvando ipsum, sine magno incommodo possumus eum ab odio, & culpa gravi liberare; id enim postulare videtur charitatis præceptum. Tenemur quoque inimico salutanti vicem reddere, alias merito censeremur illum contemnere, & odio prosequi. Excusantur autem Superior, Pater, aliqui id ex justa causa omitentes. Quin & dum persona sit multo major, v. g. nobilis rusticum non resalutans non videatur graviter peccare, modo non agat *ex affectione odii*, aut vindictæ.

13. *Quest. 4.* An teneatur quis inimico injuriam remittere, & cum eo reconciliari? *R. 1.* Certum est omnes obligari, & quidem graviter, injuriam interius remittere, etiam inimico veniam non petenti. Constat ex c. 6. Matth. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittes vobis peccata vestra.* Itaque ex charitate tenemur, odium omne rejicere, & omnes actus contrarios amori benevolentiae. Certum item est, eum, qui alterum injuste offendit, teneri veniam petere; si autem duo sese multo læserunt, qui prius alterum læsit, debet querere reconciliationem; id enim exigit ordo justitiae. *Petat veniam, qui fecit injuriam: det veniam, qui accepit injuriam, ut non possideamus a Satana, cuius triumphus est dissensio Christianorum,* ait S. Aug. Ser. 210.

14. *R. 2.* Tenemur quoque inimico veniam petenti externa remissionis signa ostendere; tunc enim omissio esset declaratio vindictæ, & occa-

sio scandali. Notat tamen Sporerius; ad id non teneri statim post acceptam injuriam, cum id esse videatur supra humanam fragilitatem, sed expectandum tempus opportunum, & interea odium ex animo deponendum. Non tenemur autem condonare inimico satisfactionem pro danno, imo possumus eam exigere juridice per legitimam potestatem; id enim non est usus vindictæ, sed juris, quod quisque habet ad compensationem illati damni, sive sit pecuniae, sive honoris; modo in ea hypothesi deponatur odium. Quod si poena sit gravis, v. g. capitis, mutilationis, cet. licet multi dicant cum Salmantinem non teneri ad eam condonandam, eo quod cedat in bonum Reip.; dicet S. Thomas dicat 2. 2. q. 108. eam expetere, aliquando licere, non quidem ex animo vindictæ, sed *ad emendationem peccantis, vel ad justitiae conservationem;* difficile tamen est, inquit Bannez, uti offensus diligat vindictam publicam absque ullo desiderio propriæ vindictæ. Itaque adhæreo Antoine, Busemb. sententibus, eum, qui, depreante altero, etiam coram legitimo judge, vindictam persequitur, si poena sit gravis, raro aut nunquam in praxi omni culpa vacare.

15. *Quod si is, qui injuriam intulit, quam potest satisfactionem offerat; eum urgere ad id, quod non potest, contra charitatem videtur.* Notant autem DD. vindictam, factam privata auctoritate, semper esse illicitam, cum sit usuratio alienæ auctoritatis, adeoque peccatum est non modo contra charitatem, sed etiam contra justitiam. *Qui vindicari vult, a Domino*

*inveniet vindictam ; Ecc. 28. Nulli malum pro malo reddentes , ad Rom. 12. atque idem constat ex aliis Scripturæ locis.*

## C A P U T I V .

## De præcepto Eleemosynæ , sive misericordiæ corporalis.

16. Certum est 1. extare præceptum subveniendi proximo indigenti , & quidem obligans aliquando sub mortali. Constat 1. ex Matth. 25. *Esurivi , & non dedistis mihi manducare ,* cet. Et 1. Joan. 3. qui habuerit substantiam hujus mundi , & viderit fratrem suum necessitatem habere , & clauerit viscera sua ab eo ; quomodo charitas Dei manet in eo ? 2. quia lex charitatis obligat ad amandum proximum , sicut se ipsum : quo pacto vero proximum ita diligere dici potest , qui illi indigenti , quum possit , non opitulatur ? Itaque hoc præceptum & naturale est , & Divinum positivum , ut convenit inter omnes. Certum est 2. hujus præcepti obligationem ex duplice capite oriri ; ex necessitate proximi indigentis , & ex persona possidentis bona , sive necessaria , sive superflua. 3. proximi necessitatem esse posse vel extremam , vel gravem , vel communem , quarum discrimen explicabo.

17. *Extrema* dicitur necessitas , cum quis nisi ei subveniatur , versatur in periculo vitæ , vel morbi gravis , ac diuturni. *Gravis* est necessitas , ex qua periculum imminet gravis mali , ut captivitati , infamiae jacturæ bonorum , cet ; unde fiat , ut quis ægre possit se , suamque fa-

miliam alere , aut non possit secundum gradum suum honeste degere. Denique *Communis* dicitur ea , qua laborant mendici triviales. Jam vero ex bonis , quæ quis habet , ea dicuntur necessaria , quæ ad victum suum , liberorum , & familiæ , statui suo convenientis apud viros prudentes consentur necessaria. Cetera , quæ ad factum , & luxum pertinent , queque ad vitam honeste secundum uniuscujusque conditionem traducendam non requirantur , dicuntur superflua , tum vitæ , tum statui. Unde merito damnata est ab Innoc. XI. hæc propositio : *Vix in sacerdotalibus invenies , etiam in Regibus , superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam , quando tenetur tantum ex superfluo statui.* His prædictis principiis , sit —

18. Quæst. 1. An teneamur dare eleemosynam ex bonis ad vitam nobis necessariis ? R. nego ; nisi pauper esset persona talis , ex qua penderet salus Reipublicæ. Est doctrina communis , & ratio patet ex ordine charitatis , vi cuius quisque potest , & debet vitam suam alienæ anteponere , nisi aliter exigat bonum commune.

19. Quæst. 2. An proximo in extrema necessitate possito teneamur succurrere ex bonis aliquo modo ad statum nostrum necessariis ? Affirmo cum Suarez , Valentia , Layman , & aliis. Et est ratio , quia charitas ordinata exigit , ut præferamus vitam proximi decentiæ nostri statutus , et ob illam servandam dispendium aliquod patiamur in gradu nostro , cum hoc non reddat hominem miserum , & infelicem. An vero ad id teneamur cum gravi status detimento ? affirmit

Toletus, negant alii valde probabiliter.

20. Quæst. 3. An in gravi necessitate sit obligatio dandi eleemosynam ex bonis naturæ, & statui superfluis? Affirmo cùm communis sententia, si non sit aliud, qui probabiliter ei necessitati subveniat. Ratio est quia Scriptura teste, frequenter damnantur homines ob neglecta opera misericordiae: esupi, & non dedistis mihi manducare, sitiv, cet. Quæ verba restringi non possunt ad extremam, & raram necessitatem. Et quidem de necessitate gravi hoc præceptum intelligunt SS. PP. Unum pro omnibus audiamus Ambr. lib. 1. off. c. 1. grandis culpa, si scientie, fidelis egeat, si scias eum fame laborare, ærumnam perpetui, præsertim si mendicare erubescat, & non adjuves. Eodem modo loquitur S. Aug. in Joannis ep. Tract. 5. & alii. Suedet id quoque natura ipsa Christianæ charitatis, quæ præcipit, amare proximum sicut se ipsum, & ei facere, quod nobiscum fieri vellemus. Jam vero quis poterit sibi persuadere, se amare proximum, sicut se ipsum, si cum ille in gravi necessitate versatur, non subveniat de iis bonis, quibus sine gravi incommode privari potest?

21. Quæst. 4. Num etiam in communib; & obviis pauperum necessitatibus sit obligatio erogandi eleemosynam ex superfluis statui? Negat 1. sententia quam sequuntur Navarrus, Covarruvias, aliquæ ex Canonistis; ex Theologis autem Sotus, Mediana, Vazquez, & alii multum antiqui, tum moderni, quibus facere videtur S. Antoninus p. 2. tit. 1. c. 24. §. ult. ubi loquendo de dibilitate, obstricto ad eleemosynam,

de eo tantum meminit qui de superfluo utriusque necessitatis, naturæ scilicet, & personæ, non subvenit magnas necessitates patientibus etsi non extremas. Nihilominus sententia communior, cui penitus adhæreo, affirmat cum S. Thoma 2. 2. q. 32. art. 5. præceptum eleemosynæ obligare dites etiam in ordinariis pauperum necessitatibus. Pr. 1. ex Luca c. 11. quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Et 1. ad Timoth. 6. divitibus hujus sæculi præcipe, facile tribuere, communicare, cet. Ubi verba illa præcipe, & facile non obscure indicant præceptum, etiam extra gravem necessitatem. Idem colligitur ex sententia, quam Christus est prolaturus in extrema die per illa verba: esurivi, sitiv, cet., neque enim Christus pro ratione damndandi iniquos duritatem in pauperes allegaret, nisi hoc vitium esset commune, & frequens apud homines, quale non esset, si nulla foret obligatio, ex superfluis eleemosynas in pauperes obvios erogandi.

22. Profecto si SS. PP. consulamus omnes uno ore dicentes audiemus bona divitum superflua ad pauperes pertinere. S. Augst. in psalm. 14. Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cum superflue possidentur. S. Ambrosius lib. de Nabuthe c. 11. Non de tuo largiris pauperi, sed de suo redditus. Hieronym. ep. ad Hedib. Si plus habes, quam tibi ad vivendum, vestitumque necesse est, illud eroga, & in illo debitorum esse te, noveris. Idem habent Greg. Basilius, Chrys. & S. Thomas. 22. q. 88. art. 1. ad. 4. Dominus non solum decimam partem, sed

etiam omnia superflua pauperibus jubent exhiberi. Quod quidem præceptum probant SS. PP. tum ex lege charitatis, quæ non præcipit amare proximum, ut nosmetipsos, tum ex lege Divinæ providentiae, cui certe fieret injuria, si divites in communi indigentia subvenire pauperi, non cogerentur.

23. Nam divisio rerum, ita Deo providente, facta est, ut alii divitiis abundant, alii omnino careant; Deus autem parum providus in pauperes videretur, si non obligaret divites, ut in illos misericordiam exercent. Adde, necessitatem communem egenorum facile declinaturam in gravem necessitatem, si divites non subvenirent mendicis ex iis, quæ post necessariam status sui conservationem eis supersunt. Notat hic tamen Navarrus, decentiam uniuscujusque status minorem, vel majorem habere latitudinem quo major est, vel minor gradus, neque illa solum statui convenientia dicenda esse, quæ requiruntur ad alendum se, suosque liberos, verum etiam quæcumque juxta æstimationem prudentum necessaria sunt ad hospites sustentandos, ad moderata convivia, famulos, servosque alendos secundus cujusque gradum.

24. Notat quoque Roncaglia, secutus Viviam, Salmant. & alios, non omnia, quæ supersunt divitiis, in pauperes elargienda, sed id morali, & humano modo intelligendum; ita ut dives teneatur illis subvenire, quantum satis sit providere ordinariis pauperum indigentias, si alii divites sic faciant. Peccaret tamen graviter dives, qui eo se haberet animo, ut raro,

aut nunquam in communibus necessitatibus eleemosynam faceret, vel qui in hoc esset notabiliter negligens. Excipe Ecclesiasticos, qui in pauperes tenentur effundere, quiequid eis superest ex redditibus Beneficiorum, ut suo loco dicemus.

25. Quæst 5. Quibus ex bonis facienda est eleemosyna? R. ex bonis propriis, & quorum quis habet liberam administrationem. In extrema autem necessitate, vel quasi extrema potest fieri de alienis, si propria non suppetant, quia tunc omnia bona sunt communia. Verum si possis e tuo pauperi subvenire, ad id teneris ex præcepto charitatis. In communibus autem indigentias non licet facere eleemosynam, nisi domino tacite, vel expresse consentiente. Unde ex bonis furto ablatis non potes inopi subvenire, si dominum habent certum; licet tamen id facere ex rebus acquisitis per opus illicitum sed absque in justitiam, v. g. lucro meretricis, quia hæc sunt propria bona, non tamen priora: Pueris, filiis familias, servis, ancillis, uxoribus non licet dare eleemosynam, nisi tenuem, in qua parentum, dominorum, & maritorum voluntas præsumitur.

Tutores, & Curatores, qui curam habent bonorum alienorum, possunt facere modicas eleemosynas ex bonis, quæ administrant, quales nimurum ipsi, ad quos pertinent, facere deberent.